

Nic. Reufneri parte secundâ. Nota sunt exempla Alex. Pheræi, Dionysii tyranni, & aliorum.

10 Impatientia est timiditas sive mollicies, qua homo aduersa quæq; iniquo animo sustinet.

SCHOL. Magnanimitas & Pusillanimitas conspiciuntur in suscipiendo, patientia verò & impatientia in sustinendo. Quid autem impatientia sit, ex patientia facile cognoscitur. Contrariorum enim eadem est disciplina & δύναμις. Patientia à Theodosio Imperat. dicta est remedium malorum; ergo Impatientia malorum accessio & amplificatio rectè dicitur. Leuius fit patientiâ quicquid corrigere est nefas: dixit Horatius lib. I. Carm. ode 24. Ergo quicquid ejus est, grauius fit impatientiâ. Israëlita jam duce Mose egredientes ex Ægypto, & propter persecutionem Pharaonis in summum discrimen adducti, contra Mosén indignabantur, Exod. 14. v. 11. Annon, inquebant, sepulchra erant in Ægypto quibus condi potuissemus? Item Exod. 15. v. 24. Impatienti animo gustabant amaram aquam, in Mara, Num. 11. v. 1. item 4. & seqq. cum obmurmuratione petebant carnes & cepas Ægyptias, fastidientes manna. Ad impatientiam pertinet desperatio, qua omnis fiducia ad Deum abjicitur, & homo à Deo sese avertit ad Diabolum. Juno quum precibus à Jove non posset impetrare exitium Trojanorum, in hæc verba prorupit: Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo. Cain post fratricidium desperat favorem Dei, Genes. 4. v. 14. Præfectus carceris in quo Paulus, & Silas tenebantur, quum expergefactus apertas videret fores, suo ipsius gladio se jugulaturus erat, nisi Paulus ipse impedivisset, Act. 16. ver. 27. Hujus loci etiam illi sunt, qui in persecutionibus à veritate ad mendacium deficiunt, ut Saul, 2. Samuel. cap. 28. à Deo se convertit ad Pythonissam. Item illi quos vel avaritia, vel ambitio ad defectionem adigit, ex quorum censu fuit Julianus Apostata. Quidam metu periculi deficiunt, ut Franciscus Spiera, de quo Johan,

*Desperatio.*

*Qui in persecutionibus à veritate ad mendacium deficiunt, ex avaritia vel metu periculi.*